



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Nucleus Practici Tractatus, De Legibus**

**Marchius, Ewald**

**Coloniæ Agrippinæ, 1660 [erschienen] 1661**

Cap. XVII. An Lex humana debeat esse de communi magis quam in particulari, & an ad eam pertineat omnia vitia prohibere?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42256**

materia, communis est omnibus civibus, pro  
ut tales sunt, ac iusta & honesta, & nihil con-  
tinet, contra decentiam, vel exemptionem,  
Ecclesiastici status, sed potius fovet, ut v.g. in  
Lege taxante precium tritici; & similibus re-  
rum, in Lege prohibente extrahi è Regno,  
res necessarias Reipub. & similibus, Suar. l.  
3. de Leg. cap. 34.

## C A P U T XVII.

*An Lex Humana debeat esse de Communi  
magis, quam in particulari. Et an ad  
eam pertineat omnia vitia pro-  
hibere.*

Certum est eam debere poni in commu-  
ni, ita S. Th. 1. 2. q. 96. art. 1. quia leges de-  
bent proportionari suo fini, finis autem est  
commune bonum, cui procurando, per se,  
non est accommodata aliqua directio, aut  
mandatum uni factum, pro particulari nego-  
tio vel opere, ergo Lex debet esse universalis  
quæ ad multorum actiones dirigendas, vim  
habeat, nam ex actionibus plurium de com-  
munitate, bene compositis & ordinatis, con-  
surgit bonum & Salus Reipubl. : Non vero  
pertinet ad Legem civilem omnia vitia pro-  
hibere. Ita S. Th. hic art. 2. quia Lex imponi-  
tur hominum multitudini, cuius major est in  
Virtutibus imperfectio, & ad mala proclivi-  
tas

tas, quam, si velis prohibere minis & pœnis, totaliter à vitijs, periculum foret, ne jugum excuterent, & cum magna perturbatione Reipublicæ in deteriora prorumperēt, quibus postea cohibendis non sufficeret Humana & civilis Potestas.

Nihilominus dici potest; ad Legem Ecclesiasticam, quodammodo pertinere, omnia peccata mortifera & notoria prohibere, ac etiam pœnis spiritualibus coërcere, quia Ecclesiasticæ Potestatis finis est, hominem ad salutem supernaturalem dirigere, & proinde etiam, ad eam spectat, amovere omni oportuno modo & loco, quæcunque puræ fidei adversantur.

Neque tamen propterea dicendum est, omnia peccata, esse Fori Ecclesiastici, nam contrarium docetur in decretalibus, de foro competenti, sed ea tantum, quorum materia per se contrariatur fini, Principijs, & auctoritati, ac præceptis Ecclesiæ, quorum autem materia, proprie & per se, est contra justitiam civilem, vel tranquillitatem status publici, illa spectant ad Forum sæculare. Quorum autem materia, utrisque adversantur, possunt esse mixti Fori, v. g. adulterium, quia contrariatur Politiæ & Justitiæ civili, ac etiam injuriosum est Sacramento Matrimonij. Hinc ad

utrum-

utrumque forum dicitur pertinere. Ita Wiggers in 1, 2 q. 96. art. 2.

## CAPUT XVIII.

*An Lex Humana præcipiat omnes actus Virtutum & an se extendat ad actus inter nos?*

**C**onclusio D. Thom: hic 1, 2. q. 96. art. 1.  
 Nulla est Virtus, de cuius actibus, Lex Humana præcipere non possit; non tamen omnes actus omnium virtutum præcipit. Prior pars probatur, quia omnia objecta virtutum possunt aliquando ad bonum commune servire, & referri, videlicet aut immediate aut saltem mediate, quia vel directe & per se, ad conservationem bonorum communium faciunt, aut, certe conducunt ad bonam disciplinam, per quam subditi continentur, ut commune bonum Justitiæ, & pacis inter se conservent, quia plurimi actus virtutum in particulari fiunt absque humana Lege, qui etiam non referuntur ad commune bonum, sed propriam vel amicorum salutem; neque convenit etiam; quod Lex humana præciperet omnes actus omnium virtutum, quia hoc tam parum congrueret Humanæ infirmitati, quam velle prohibere omnia propria vitia; Quare sicuti satis est familibus legibus, quod prohibeant pœnis, illi delicta